

III.

NEOVIDENSIS

Nro 39. (*Neovidensis Nro 62.*)

E CAMPIS ELYSIIS

Arcanum Litterarum Commercio Vivos inter,
& Mortuos.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 13. Aug. 1804. (*Neov. 31. Julii.*)

EPISTOLA

*Caroli Mereau ex Inferis ad quendam Choragum
inter vivos degentem.*

Si Saltatoria nomine artis insignita ad hodiernarum historiarum filum saltem instar crepundiorum assui meretur, tu fortassis mihi excogitatum Propositum, nostræ huic arti communi splendidissimum nomen procuratorum ambabus ulnis amplecteris.

Ab ovo mihi saltandi ars repetenda venit. Certum est, naturalem hominis proprietatem Cantum esse. Dum enim ipse in nemoribus avium cantum audiret, arcanus quidam in eo has imitandi melodias nisus commovebatur. Canit ergo; atque alii auscultantes quamdam internam infundi sibi persentiscebant voluptatem; corpus ipsorum concitari motu; manus tendi, ac rursus complo-di; pedes ad gressum urgeri; vultus mutari speciem; totum denique corpus gratissimo

tremore agitari, & — saltitare. Hinc perspicias, ut vox & gesticulationes sunt, ita Cantum & Saltum esse homini congenitum. Unde quoties plures in unum convenerunt, toties cantui, saltuique semper indulserunt. Cantillatum, saltitatumque est inde a mundi primordio; & usque in diem novissimum cantillaturos, ac saltituros homines probabilius putes.

Et quid? num choreæ apud omnes Gentes erant non religiosæ Cerimoniæ? Choreæ hostiarum; Isidis & Cereris Mysteriorum; tum Judæorum, tum Græcorum, tum denique Romanorum choreæ quid erant? numquid non religionis testimonia? Post maris Erythræi trajectum congregavit Moses, & Soror ejus binos ingentes Musurgorum choros; ille virorum, hæc mulierum. Tum Aaronis germana sumit tympanum; & ecce universæ mulieres cum tympanis repente prodierunt; tum cantare universi, tum saltare.

Sed quorsum chorearum exempla? quorsum argumenta? aliam hujus Epistolæ propositum respicit metam; Saltatoriæ artis ad summum dignitatis apicem elevandæ scopum habet. Credo nempe nil magis proclive fore, quam Regnum, aut Rempublicam Saltantium fundare; Rempublicam vere saltantem; ubi Magistratus æque, ac plebs infima semper saltarent. Utique paradoxum tibi, mi bone in Saitu collega, videbitur isthoc propositum usque ad cachinnos; at mox, ut momenta perspexeris mea, cachinnari cessabis.

Notum est, & nullo non die legi potest in Historiis, Africæ populos, præsertim Nigritanos nec fame, nec alia quavis necessitate ad laborandum excitari posse. Integros dies in suarum arborum umbra stertere; nisi extrema fame ad legendos fructus, vel plantas; aut venandas feras excitandos. At si plures in cœtum unum confluant; & vel unus eorum quampiam ordiatur melodiam, tum universi tam juvenes, quam senes; mares fœminæque ad motum excitantur, exultant, tripudiant, agunt choreas tanta, quod mireris, cum vehementia, ut tandem humi lassati corruant. Alias inertes, torpidi, erga ipsa maxime opportuna vitæ media quasi sensu destituti: at in choreis totum corpus, totam animam possident; intra saltandum disparet eorum inertia, disparet languor: penes choreas ad lassitudinem industrii probantur.

Sed ad rem propius: Audio multas, & multigenas nostris in Elysiis narrationes; in quibus nova Nigritanorum in S. Dominici Insula Dominatio meam præ cæteris rapuit attentionem. Qui? inertes illi Afri novam erexerunt Toparchiam? vocentur Haitiani a primigenia Insulæ Haiti denominatione? Optume — tanto quidem ad meum propositum opportunius accessero.

Cædo, jurene a novis hisce Republicanis exspectaveris, ut ipsi sponte Sacchari, fabarumque culturam prosequantur? & non potius in congenitam relabentur socordiam laborem omnem aversaturi? certe posterius

isthoc jure formidaveris; cum constet, Nigritanos nisi sudibus ad labores persuaderi posse. Et tunc quis animo satis ea, quæ Caffephilos manent, detrimenta præcipiat, si Haitiana Insula inculta relinquatur; si suis cum coloris in priscam reducat feritatem? Certe Sacchari universi, quod universo globo terraqueo producitur, unam tertiam ab hac Insula recipimus: numquid non ergo universo periculum imminet humano generi, tam dulcis producti tertia parte carendi; & illud postea tanto sumptuosius aliunde mercandi?

Hæ mihi Cogitationes præsentanei remedi suggerendi, ad sustentandam hanc unam cum nectareis donis coloniam porrexerunt occasionem. Quod vero illud? aut in quo situm? — in choreis.

Cum enim Nigritani suam in solis tripudiis industriam, & usque ad corporis enervationem testentur insaniam; ideo novæ Haitiorum Republicæ commendaverim, ut aliquot mille choragos ex Europa, aliisve Orbis partibus accerseret; Summos terræ Magistratus, primasque Provinciæ Præfecturas agilissimis, atque in arte peritissimis Choragis concrederet. Dessalinem oporteret, ut est Toparcha, ita in arte usque ad Archi-Choragi gradum prius eluctari. Nunc tandem ad ipsa propositi viscera!

Isti Choragi singulis diebus deberent primo diluculo per omnes Republicæ latebras Haitianos expergefacerere; eosdem destinato isthuc loco colligere, atque cum iis choreas

inchoare. Cum jam sic Haitiani moveri, agitarique inciperent; tum Summos Magistratus oporteret subsultando in medium procedere, Nigritanis u que ad ipsum laborem lento saltu præire; ac ubi ad plantationis locum perveniretur, tum primum ferventissima tripudia excitare, & mediis in tripudiis universum laborem perficere.

Quid vero tu, Saltator Collega, ad istud consilium? quid ad hanc tripudiantem Rempublicam? Certe in Paraguarie Historia leguntur Jesuitæ hujus terræ feroces incolas per Musicam, & choreas cicurasse. Paraguarii per singulos dies ad labores oriente Sole sub musico progrediebantur concentu: inter media tripudia plebs mane ad negotia diurna proficiscebatur; ac rursus vespere cum tripudiis domum revertebatur. Nempe callidi viri fuere Jesuitæ. Cæteræ Nationes omnes, puta Hispani, Portugalli, Britanni, Batavi ad cicurandos barbaros, aut in obsequium formandos vi utebantur; igni ferroque sæviebant in miseros, & maximam eorum partem exterminaverunt: Loyolitæ soli genuinum ad eorum cicurationem, & ad meliorem culturam opportunum remedium adprehenderunt. Melodiæ, Choreæque ista remedia fuere; ista barbaros hosce ad ritum Christianum, & moralem sanam inde promanantem transtulerunt. Nullus ignis, nullum ferrum unquam quempiam eorum interemit: & obsequentes tamen, solertes, ac religiosi evasere — per melodias, per choreas.

Jam nunc methodum istam novæ Haitiorum Toparchiæ accommodes. Nonne tripudia, jucundissimum negotium, Nigritanos ad Sacchari, Fabarumque culturam tam callide, tam hilariter permovebunt? Isthoc ego dignum omni attentione puto; teque Collegarum optime nil præstantius facturum existimo, quam si cum hoc Projecto ad Haitianos properaveris; Toparchæ Dessalines ipsum obtuleris; & demum transvehendorum ad Insulam S. Dominici aliquot millenorum Choragorum negotio temet oneraveris. Meum isthoc, profiteor, in primis fuisset negotium, si superas adhuc respirarem auras: at ego meum, terminavi, ut eum vocant Itali, *Saltum mortalem*.

Et quid illi phlegmatici, ac tam parum choreis additi Batavi; ideone feliciores? Nimis certe illi alieno ære gravantur — sine choreis: quod hac fere ratione perhibetur:

Batavorum onera Nationalia hodie ultra 1000 Millions excurrunt. Sed admiranda est onerum istorum inde a Reipublicæ cunabulis progressio. Anno quippe 1579 quo prima eidem jaciebantur fundamenta, Hollandia uno circiter alieno Millione gravabatur: cæteræ Provinciæ pauculos asses debebant. Anno 1647, & 1648 jam premebatur 114 millionibus Hollandia. Subsequis bellis, puta contra Cromwellium Anno 1652, contra Lusitanos Anno 1654, contra Svecos Anno 1655, contra Britannos Anno 1664, denique Monasteriensi Anno 1665, quod primo Pace Noviomagensi Anno 1678 terminatum est,

eâdem onera 150 Milliones attigerunt. Occasione Pacificationis Ryswicensis erant 214 Millionum. Anno 1713 sub Ultrajectensi pacificatione ad 343 Milliones elevata sunt. Per suscitatum contra Pragmaticam Sanctionem bellum Anno 1743 ita sunt aucta, ut sub Aquisgranensi Pacificatione 404 Milliones effecerint; licet eo tempore etiam Dona gratuita pro sumptibus belli exigebantur. Tandem novissima bella Anno 1780 adversus Angliam, & Anno 1790 contra Galliam suscepta, ut pars aliquota debitorum intermediis annis diluta fuerit, millionibus 50 onus pristinum auxerunt. Unde quum Revolutionis tempore omnium Provinciarum onera in massam unam colliquarentur, sola Hollandia 454 Milliones; cæteræ Provinciæ 160 Milliones debebant: adeoque onera communia Batavorum 614 Milliones constuebant.

Jam si huic oneri adhuc addideris illa non persoluta Legionum stipendia; illos 100 Milliones Gallis pro Pace Anno 1795 numeratos; illos ex hoc tempore adversus Angliam gesti belli sumptus; illa Societatis Indicæ, quæ ipsa postea evaserunt Nationalia, onera; illa denique sæpe repetita tam spontanea, quam violente extorta Mutua; vix admirationi locus aliquis relinquetur, quod Ambianensi Pacificatione onus 1000 Millionum exsurrexerit; quorum Census annuus 29 Milliones 460,492 Fl. 15 asses efficiat. Et tamen novissimis temporibus onera isthæc rursus

bino spontaneo, atque rursus aliis diversæ sortis mutuis cumulata fuerunt. Creditores eorum, pauculis exceptis, meri sunt indigenæ.

BIOGRAPHIA.

Carolus Hubertus Mereau Aulæ Saxo-Gothanæ Choragus (*Saltus Magister*) ortus est Parisiis 22. Julii Anno 1727 educatus in disciplina illius Marcelli, nominatissimi in tota Urbe Parisina Saltatoriæ, si sic vocari meretur, artis Magistri. Sed non tam ab exequendarum sui instituti partium facilitate; quam potius a singulari formandis mentibus impensa sua sedulitate; profundiore Literarum cognitione; historiarum, linguarumque peritia; denique a morum probitate commendabatur. Scripsit Opusculum, quod nominavit *Reflexions sur le Maintien* Anno 1760 editum; quod semper instar facis prælucebit omnibus, qui corporis gestus formandos habebunt. Præter hoc scripsit plures epistolas super diversis Rousseauii paradoxis ædificatas: tum complures Gallici Saxo-Gothani Kalendarii Cursus annuos. Denique Hambergeri *Res memorabiles in Romanorum Imperatorum electione* ipso curante versæ prodierunt. Obiit 15. Novembris Anno 1797 relicto filio Friderico Ernesto Carolo Mereau hodierno in Universitate Jenensi Juris Professore.
